

Kom  
a  
1684.

Kern 16 84 2

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
FEBRE  
LENTA NERVOSA,

---

QVAM  
CONSENSV FACVLTATIS ILLVSTRIS MEDICÆ  
IN ALMA FRIDERICIANA,

PRO  
SVMMIS IN ARTE MEDICA

ET  
CHIRVRGICA HONORIBVS LEGITIME IMPETRANDIS  
DIE VIII. IVN. MDCCXCII.

H. L. Q. S.

PVBLINE DEFENDET,

A V G T O R

MICHAEL WOLFGANGVS A KOZLOWSKI  
P O L O N V S,

CHIRVRG. ET ART. OBSTERRIC. MAGISTER  
CELSISSL. PRINCIPIS NICOLAI  
A RADZIWILL ARCHIATER

---

HALAE SAXONVM

L I T T E R I S H E N D E L I I .

Dok. zu Klem 3488(12)  
DEUTSCHE UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK MEDIZINISCHE STADTBRÜCKE

E H B S E  
A B C D E F G A T U M I



4672  
BEGLEITENDES VERZEICHNIS DER DRUCKER UND VERLEGER

o 2

DRUCKER UND VERLEGER

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ET DOCTISSIMO  
DOMINO  
IOANNI NOBILI  
A BOECKLER,

SERENISSIMI STANISLAI AVGVSTI POLONIAE REGIS  
POTENTISSIMI ARCHIATRO PRIMARIO ET CONSILIARIO  
INTIMO,  
MEDICINAE AC PHILOSOPHIAE DOCTORI,  
COLLEGII MEDICI,  
QVOD VARSIAE FLORET, PRAESIDI PERPETVO  
NEC NON  
PLVRIVM SOCIETATVM ERVDITARVM SODALI

ETC.

V I R  
ILLVSTRIS, EXCELLENTISSIME  
ATQVE  
DOCTISSIME,  
DOMINO  
IOANNI NOBILI  
BOECKLER

Varias inter vicissitudines, quibus pa-  
tria mea sub auspiciis Regis nostri augu-  
stissimi fuit obnoxia, eximio profecto splen-  
dore ardua eminet mutatio ea, quam, TE  
duce et praeside, artis medicas et chirur-  
gicae studium subiit. Per omnes sane Po-  
loniae provincias honor laudesque in se-  
cula duraturae TE manebunt, quippe  
cuius auctoritate et laboribus politia  
medica rationalis spiritum quasi et san-  
guinem recepit, adeo ut civium millia,  
ne-

necata quondam ope histrionum et un-  
guentiorum, nunc salva serventur et  
in columia. Taceam quidem **T V A**, Vir  
illustris, de ipsa sanctissima Stanislai Au-  
gusti patris patriae persona, insignia be-  
nemerita. Attamen quis dubitarit, Me-  
dicum amplissimis esse ornandum verbis,  
cuius industria et auxilio Rex noster cle-  
mentissimus iniqua compluries valetudine  
tentatus, universae polonicae gentis in in-  
crementum fuerit servatus in columis? Quis  
denique non praedicarit eiusmodi virum  
ad politiorem vitae civilis rationem natum  
factumque, qui in regum palatio ultra vi-  
cennium aequali cum laude scenae servire  
noverit? Et haec erant maiora incitamen-

112 W 130 K 2d W ta



ta meam ad erigendam fiduciam idoneam,  
quo magis has literarum mearum primitias  
illustri T V O nomini ex veteri formula da-  
re, dicare, consecrare auderem. — **T V V M**  
**erit, VIR ILLVSTRIS,** leve hoc arida-  
que pumice expolitum munuscum aequi-  
bonique consulere. Quod, ut pro **TVA**  
comitate facias, meque in posterum **TVAE**  
benivolentiae et tutelae commendatum ha-  
beas, etiam atque etiam rogo et obtestor.

**ILLVSTRIS TVI NOMINIS**

**EVLTOR ADDICTISSIMVS**

**M. W. DE KOZLOWSKI.**

---

# I.

## DESCRIPTIO MORBI.

---

### I.

#### ANTIQUITATES.

**D**e febre lenta nervosa, quae **H V X H A-**  
**M I** nomine insignitur, locuturo liceat in anti-  
quitates huius morbi discurrere, ut ostendam,  
veteres omnino, licet sub diversis nominibus,  
hunc affectum cognovisse. Sicut enim **G L A S-**  
**S I O** <sup>1)</sup> concedimus, novum morbi cuiusdam  
regimen nova fere semper nomina creare solere,  
ita hoc in primis de hac febre valet, quam, cum  
nova plane methodo debellare conaretur **H V X-**  
**H A M V S**, novam quoque esse contendit.

Quanquam itaque **G R A N T I O** <sup>2)</sup> nolle  
dare, veteribus hanc febrem sub nomine *lipy-*  
*riae* innotuisse; arbitror tamen febrem, quam  
veteres

1) Comment. duodec. de febribus, p. 2.

2) Enquiry into the nature of fevers, p. 148. (ed. 1772.)

A

veteres dixerunt *Synochum non putrem*, eam-  
dem esse, quam nos HVXHAMO tribuimus.  
Febres illae, *asodes*, *lyngodes*, *phricodes*, *ty-  
phodes*, *lipyrinae*, quae tot occurrunt apud ve-  
teres Graecos, ad acutissimos potius morbos  
pertinent, quam ad febrem, quae per septima-  
nas durare solet, atque ideo etiam morbis lentis  
adnumeratur. *Synochus* autem non putris  
saepius limites febris exacte acutae excedit,  
ideoque a veteribus ita describitur, ut cum  
nostra specie egregie congruat: praesertim ve-  
ro hoc de *epialo* veterum valet, quem ex pi-  
tuita orientem et singulari quodam persfrigerio  
stipatum, ample et uberrime describit GALE-  
NVS. 3)

Nec nostris temporibus HVXHAMVS  
primus fuit, qui hunc morbum uberius tracta-  
verit. Praeter BAGLIVVM 4) enim et WIL-  
LISIVM 5), egregie epidemiam huius febris de-  
scripsit unicus eximius THOMAS SYDEN-

H A -

3) De different. febr. lib. II. c. 6.

4) Opp. p. 424. s. tr. de salivae natura usu et morbis.

5) De morbis convulf. c. 8.

HAMVS<sup>6)</sup>, Angliae lumen, artis Phoebus,  
ex quo plura nos de huius morbi indole et  
historia didicisse, ingenuè fatemur.

2

## SYMPTOMATA.

Terrentia morbi, uti c E L S V S loqui solebat, fere semper hypochondriacae passionis similia sunt. 7) Dies enim multos praecedere solent absque febre varia symptomata, quae, nervosum systema valde esse affectum et debilitate universum corpus pati, commonstrant. Meticulositas aegri et adiaphoria cum morositate, tristitia et facili excandescientia iunguntur. Praeterea frigus leve cum calore alternans, pulsus langvidus, depresso, agrypnia et oculorum tristis aspectus, pallor faciei et frigus extremorum febris accessum imminete docent.

Post aliquot dies adoritur febris adeo levis, ut initio quidem hoc nomen, aegri saltim

6) Febris continua annorum 1661. sq. Opp. T. I,  
p. 28. sq.

7) MANNINGHAM on the symptoms, nature and cure of the febricula or little fever. p. 15.

4  
iudicio, vix mereatur: febricula vesperi exacerbatur; frigus tere semper multo debilius quam in aliis febrium speciebus, pulsus frequentior et langvidior, ebilitas totius corporis multo insignior post quemque paroxysmum fit. Eadem accedit asthenia universalis, ut obambulare aegri haud amplius possint, sed lecto decumbere malint. Horrores continui per intervalla etiam manent, cum perfrigerio extremitatum. 8)

Haec quidem primordia febris obscura ut plurimum sunt; febriles ipsi motus assidui, nunc plusculum elatiores, nunc vero depressores nullam temporis legem observant. 9) Non raro aegrotum apyretum dixeris, si ex pulsu, corporis contrectati calore, ipsisque secretionibus, utpote aut ex toto aut propemodum naturalibus, febrim aestimaveris. Saepius febris intermittentis speciem, 10) nonnumquam hemitritae, 11) praese fert.

Quam-

8) HUXHAM de febr. c. IV. Opp. T. II. p. 78.

9) STOLL ratio med. T. II. p. 31,

10) HUXHAM. l. c.

11) POUPPÉ DES FORTES histoire des maladies de St. Domingue, T. II. p. 46.

Quamquam saepius adsit diarrhoea, haud raro tamen obstructio pertinax aegrum excruciat: sitis fere nulla aut saltim non valde intensa: nausea, oppletio praecordiorum et ructus vapidus, pituitosi, vomituritio cum eructatione eiusdem materiei. Lingua alba, muco tenaci gelatinoso obducta, non arida, nisi in media parte.<sup>12)</sup> Urina ab initio cruda, sero lactis similis, praetenuis, saepius tamen sedimento albo, aut flavo, divulso,<sup>13)</sup> praedita est.

### 3.

#### CONTINVATIO.

Interiectis aliquot diebus debilitas augetur, perpetuis horripilationibus nihil critici praesagientibus, excepto tantum calore post pastum accidente, cum virium insigni deiectione, quae signa pathognomonica huius febris arbitratur NEIFELDVS,<sup>14)</sup> iatromathematicus quidem, bonus tamen observator. Respiratio fit debilior, minor, suspiriis clangosis in-

<sup>12)</sup> DON. MONRO. praelection. med. ex CRONEL in-  
stit. p. 134.

<sup>13)</sup> HOLLER. de morb. intern. lib. II. p. 350.

<sup>14)</sup> Ratio medendi morbis, p. 197.

interiectis. Aeger mutus procumbit, dolere se non fatetur, aut tantum de frigoris singularis sensu dolorifico in capite, et praesertim in vertice, conqueritur. Hic dolor adeo molestus est, ut dormire aegrum non sinat: adest vel vera agrypnia, vel somnolentia ea, quae aeger dormire videtur, re ipsa vero non dormit. Sensus fere omnes penitus obstupescunt, loquela ipsa fit difficultis, vox frequenter intercipitur, visus vel dittopia vel aliis hallucinationibus, praesertim vero vertigine, afficitur, quam comitatur nonnunquam amauroseos verae species. Auditus minuitur vel barycoeae ea species occurrit, quae surditati propior est, vel obauditio singularis, ut mox tympana, mox campanas, iam aquae irruentis sonitum percipere sibi videantur. Tactus eo modo mutatur, ut frigoris, calorisque vicissitudines haud ita sentiant, sibique videantur frigere, cum tamen caleant.

Interea cum debilitate semper aducta et *pulsus* frequentia crescente, robore vero sensim sensimque prostrato, item cum urina vel corona cincta vel nubecula ex enaeoremate  
con-

7

conspicua, vel tota farinosa, turbulentia, contingunt systematis nervosi et irritabilis manifesta vitia et perturbationes. *Delirium* sequitur *sudatiunculas* frigidas, glutinosas, partiales; et urinam, cuius sedimentum gradatim ad nubeculam elevabatur. Est autem fere nunquam ferox, nec cum vehementibus actionibus stipatum, sed tranquillum, mitissimum, studiosum, quod saepe sola mutitate et taciturnitate, nonnunquam vero oculorum aspectu truci, torvo, oculis inter dormiendum semiclausis, ut albuginea sola transpareat, saepe vero labiorum perpetua agitatione et obmurmuratione, manifestatur.

#### 4.

#### CONTINAVITIO.

Dum deliria eiusmodi obtingunt, status febris adesse dicitur, qui plerumque septimo vel octavo die, nonnunquam vero serius, contingit. Lingua, quae antea alba et mucosa esset, nunc arida sit et rubra: saepe fissa apparet, exserta iussu medici tremit prae debilitate. Actiones fere omnes voluntariae miram adesse astheniam commonistrant. Soporosus status cum deliriis

deliriis alternat: et, si quando intervalla lucida occurunt, stupor haec occupat universalis, quo functiones totius corporis afficiuntur. Pulsus celeritate crescit et debilitate; fit vibrans, vermicularis. Sanguis, e vena forte missus, est floridus, resolutus, neque unquam crusta phlogistica obductus. Color faciei frequenter mutatur. Accedunt convulsivi motus in muscularis singulis, palpitationes et subsultus tendinum, raro autem convulsiones verae universales. Aeger somnum metuit et conatur eundem avertere, cum dormienti sibi mortem instare aut deliria suspicetur. Huc denique hydrophobia spuria saepius pertinet, quae convulsivum statum oesophagi designat:<sup>15)</sup> alias adest angina, praesertim in complicatione gastrica.<sup>16)</sup>

In hoc statu lumbrici nonnunquam eiiciuntur, sed nullo cum levamine.<sup>17)</sup> Horripilations, quae antea adessent, in caloris acrem,

mor-

15) BVRSER. Instit. med. pract. Vol. I. §. 297.

16) FINKE de morb. biliot. anom. p. 261.

17) MORGAGNI de sedib. et causs. morb. ep. VII. n. 46.

mordacem sensum transiunt, ut et febrim putridam adesse ex hoc signo perperam credat medicus. — Animi praeprimis deliquia frequentiora summam adesse debilitatem monstrant: quae quo saepius recurrunt, eo maius periculum, eo gravior necis propinquae metus. Obsyncopes frequentiores, sereque essentiales huius febris comites, *syncopales humorales* febres dixerunt Arabes.<sup>18)</sup> Ea demum deiectionis virium et abolitio irritabilitatis et sensitatis accedit, ut excretiones fere omnes, inscio et invito aegro, profundantur, quod mortem esse propinquam tantum non semper ostendit.

His iunguntur anima frigida, extremorum frigus, eruptio deinde peticularum atrarum, aut miliarium, aphtharum denique lividarum fuscarum, circulis lividis cinctarum. Moriuntur aegri vel inter convulsiones, vel in stupore illo universali. — Quodsi vero sanitas sequitur, haec post 30 - 40 demum dies, nec subita cri-  
si eaque perfecta contingit, sed lysi et madida cutis superficie, aut metaftasibus variis generis, de quibus infra (§. 10. II.)

5.

18) EBNSINA lib. IV. sen. I, tr. II. c. 53.

## ACCIDENTIA MORBI.

Frequentior est, testibus fere omnibus medicis, febris lenta nervosa nostris temporibus, quam olim: quod ex victus ratione depravata, vita inprimis sedentaria, et potibus vinosis BVCHANIVS <sup>19)</sup> explicat. Vicem vero gerere inflammatoriarum, quae pristinis temporibus toties occurrabant, <sup>20)</sup> nonnullis placuit. — Frequentior quoque videtur HOMIO <sup>21)</sup> morbus in hominibus a XVIII - XXX annos, quam vel in iunioribus vel in senioribus.

*Contagium* quamlibet in hac febre quaesiverint varii auctores, <sup>22)</sup> cum HOMIO tamen credo id fere nullum esse, quia ii, qui contagiosum esse morbum contendenter, commutaverunt fere semper cum putrido statu.

Epi-

19) Hausarzneykunde, K. 19. S. 222. ed. 1792.

20) HOME's klinische Veriuche, S. 14.

21) I. c.

22) Reflexions on the general treatment and cure of fevers p 85. — CAMPBELL on the typhus or the low contagious fever. 8. Oxford, 1785.

*Epidemicam* tamen naturam huius febris plures fide dignissimi auctores testati sunt. Sic SYDENHAMVS 23) vernam constitutionem anni 1661. et MORGAGNIUS 24) aliam epidemiam anni 1711, quae primum quidem cum convulsivis affectibus, deinde vero cum deliriis erat stipata, descripserunt. Notatu maxime deinde digna est ea epidemica constitutio, quam memoravit HVXHAMVS 25) anno 1737., quaeque pluviis continuis annorum praecedentium producebatur. Hanc sequuntur GRANTII egregia historia *synochi non putris* anni 1769. 26), HOMII 27) descrip-  
tio epidemiae 1773., STOLLII 28) deinde, WEIKARDI 29) et TESSERII. 30) Vernales hae fere omnes sunt constitutiones, eoque tempore ingruebant epidemiae, dum frigus hie-  
male

23) Opp. T. I. p. 26.

24) Ep. VII. n. 16.

25) Opp. T. I. p. 163.

26) Enquiry into the nature etc. of fevers. p. 150. seq.

27) Klinische Versuche, S. 15.

28) Rat. med. T. II. p. 30. T. VII. p. 22.

29) Vermischte medic. Schrift. St. II. S. 216.

30) Mem. de la societe roy. de medec. T. III. p. 23.

male calor vernus sequebatur, quod confirmat WINTRENGHAMVS. 31)

In descriptione quidem variant auctores; nostra tamen ea est, quae omnibus singulisque communia contineat phaenomena. Hanc diversitatem multi explicant ex variis morbi *complicationibus* et varietatibus. 32) Varietates tres agnoscit HEUVELLVS, 33) simplicem nimirum, malignam et inflammatoriam. Complicationem inflammatoriam bis observavit STOLLIVS: primum quidem febres lentae nervosae sub specie dysenteriarum comparebant 34); deinde transferunt in inflammationem, stipatam exanthemate miliari. 35) Idem auctor statum phlogisticum cum febribus hisce complicatum vidi, absque inflammationibus singularum partium, maxime vero in viris. 36) Cum febre biliosa aut gastrico statu complicatam observavit

31) Comment. de morbis quibusdam. S. 324.

32) DANIEL systema aegritud. T. II. p. 13. BVRSER.  
I. c § 280.

33) Tentamen nosologicum, p. 228.

34) Rat. med. T. IV. p. 192.

35) Ib. T. VII. p. 22.

36) Ib. T. II. p. 35. 36.

ir.  
vit FINKIVS <sup>37)</sup>. GRANTIVS <sup>38)</sup> tamen  
symptomata fere nunquam variare, sive sit ga-  
strica, sive atrabiliaria sive phlogistica diathe-  
sis, nobis persuadere conatur.

## II.

## A E T I O L O G I A.

## 6.

## CAVSAE PRAEDISPONENTES.

Quod ad causarum investigationem attinet,  
concedo omnino, nos prius posse de remotio-  
rum i. e. praedisponentium et occasionalium,  
causarum natura certiores fieri, quam de cau-  
sa proxima, seu essentia morbi. Ea maxime  
subiecta huic morbo favent, quae debilibus  
nervis, corpore laxo et sanguine prætenui-  
sunt instructa, quae vigiliis, evacuationibus  
nimis, venere, studiis aliisque commissis in  
victu erroribus sunt enervata. In his enim  
teneritudo fibrarum nimiam intentionem virium,  
earum

<sup>37)</sup> De morb. bilios. anomal. p. 101.

<sup>38)</sup> L. c. p. 151.

earum denique lapsum producit, aut laxitas fibrarum per se quidem cum virium exhaustione iungitur. Requirunt itaque tales constitutiones haud gravem sed minoris tantum momenti caussam occasionalem, ut morbus producatur. Dum vero causa epidemica adest, sere nulla praedispositio requiritur, sed plerique homines, sine subiectorum, aetatum, sexuum differentia, febre corripi solent.

## 7.

## CAVSAE OCCASIONALES.

Inter caussas occasioales primum sibi vindicat locum aër impurus, mephiticis vaporibus repletus, aut saltim inclusus, nec renovatus. Hinc in nosocomiis et carceribus, in navibus et castris tam frequens est morbus, ut cum febribus malignis hic quoque oborientibus nonnunquam fuerit commutatus. 39) Humidos quoque vapores e terra verno tempore prodeentes non raro huic febri ortum praebere, credidit BUCHANIUS. 40) Cibos praeterea digestu difficiles, ut fungos, melones,

cucu-

39) BVRSER. I. c. §. 279.

40) L. c. p. 223.

cucumeres, et potulenta vapida, aut denuo fermentantia, ansam exhibere posse ut febris lenta nervosa oriatur, varii auctores tradunt. Materies quoque variae repulsae, exanthemata retrogredientia, ulcera praepostere exsiccatæ, arthritis atonica,<sup>41)</sup> plica polonica demum, iuxta amicum venerabilem F O N T A N I V M ,<sup>42)</sup> inter caussas occasionales militant. Ut denique summatim loquar, id omne occasionalis caussæ vices gerit, quidquid debilitat, ener-  
vat, fibris teneritudinem aut laxitatem imper-  
tit, aut lymphæ degenerationem producit.

## 8.

## C A V S A P R O X I M A .

Ut enim missas faciam varias de essen-  
tia huius morbi hypotheses et theorias, quas  
hic quidem singulatim recensere superfluum  
mihi videtur; eam habeo maxime probabilem  
theoriam febris lentæ, quæ *teneritudinem* et  
*debilitatem systematis nervosi, lymphatici et*  
*irritabilis*, tanquam caussam proximam accusat.  
Nimisne audax sum, dum contendō, omnia  
phaeno<sup>4</sup>

41) S E L L E pyretol. p. 322. ed. 1790.

42) Med. chirurg. Abhandl. N. 1.

phaenomena, omnes caussas remotiores, ipsamque curationem eo collimare, ut debilitatem illam et teneritudinem fibrarum sensilium, et irritabilium, et congruam semper cum hisce vitiis systematis lymphatici debilitatem, manifestent, et veram esse morbi caussam proximam indicant? - Quid quod sistema lymphaticum cum nervoso et sensibili adeo arcte cohaeret, ut, affecto hoc, semper et illud patiatur, curationis item regulae non possunt non utriusque affectui adaptari!

Hinc lymphae illa degeneratio, cuius testimonia multi viderunt, ideoque etiam eamdem appellarunt proximam morbi caussam: 43) hinc acrimonia illa sanguinis, quam ex Gas quodam deleterio explicare conatus est ARMSTRONGIVS. 44) Ex eodem fonte quoque derivanda dissensio illa inter autores de loco huius febris in systemate naturali. Falluntur quidem meo iudicio, qui nil esse nisi gastricam hanc febrem contendunt, sicut ii errant, qui mere pituitosam faciunt.

Dige-

43) HUXHAM, I. C. NEIFELD I. C.

44) Medical, Essays, p. 10.

Digestionis organa omnino afficiuntur, dum sistema nervosum patitur, quia centrum huius systematis in plexu gastrico assumi potest. Sordes omnino adsunt, nec vero tamquam verae causae, sed velut effectus tantum a me considerantur. Pituitae redundantia et conges-  
tiones serosae iisdem argumentis patefiunt.

## III.

## P R O G N O S I S.

## 9.

## G E N E R A T I M.

Non acutissimum morbum esse, iam su-  
pra monebatur: durat enim per integras sep-  
timanas, imo menses; licet NEIFELDO 45)  
non crediderim, etiam per annos posse pro-  
trahi. — Viris ceterum velocior decursus quam  
mulieribus, cum illorum fibrae ad laxitatem  
haud adeo pronae sint, quam harum. 46)

Per

45) Rat. med. morb. p. 196.

46) STOZL I, c. T. II, p. 36.

B

18

Per se quidem malignus morbus non est; praeſertim vero benignus, dum non epidemice ſed ſporadice occurrit; ut et ſimplex benignior quam complicatus.<sup>47)</sup> — Sanitate febrem hanc terminatam in praxi decerni, ipſe bis obſervavi. In epidemia ea, quam WEIKARDVS obſervavit, fere omnes ſervabantur.<sup>48)</sup> — Interea tamen animadverterunt varii auctores, exantlato morbo aegros diutius languere, in relapſum quoque pronos eſſe.<sup>49)</sup> Male curatas has febres pedissequas habere hecicas plerumque, contendit BAGLIVIVS.<sup>50)</sup>

## IO.

### SIGNA SALVTIFERA.

Mador cutis universalis; pulsus ex depreſſiori et languidiori elatior et fortior; item regularis, qui antea intermittens fuerat: urina ex pallido citrea, enaeoremate pellucido, mox in hypostafin leviorem, acuminataam, mobiliorum

<sup>47)</sup> BVRSER. l. c. p. 281.

<sup>48)</sup> l. c.

<sup>49)</sup> STOLL l. c. T. II. p. 41.

<sup>50)</sup> De ſaliuæ natura. Opp. p. 424.

rem transeunte, praedita: alvus laxa, nec  
nimis aquosa, nec obstructa: animus sibi con-  
stans; — haec sunt phaenomena criticos natu-  
rae conatus indigitantia. Speciatim vero vo-  
mitus salutaris observabatur a variis aucto-  
ribus, qui capiti levamen afferret et fallacem  
faciei ruborem in pallorem salutiferum conver-  
teret. 51) *Urinam* criticam vidit MORGAN-  
GNIUS. 52) *Alvum* humidam et veram diar-  
rheam variii auctores, praesertim in complica-  
tione gastrica, salutarem descripsierunt. 53) *Ptya-  
lismus* morbum frequenter soluisse dicitur. 54) *Sudores* quoque per aliquot dies contingentes  
febrem, quae in lymphatico systemate sedem  
habet, terminant. — Eruptio exanthematum,  
praesertim *miliarium*, quandoque est critica,  
dum sero contingit, alvo nempe repurgata, et  
inter sudores spontaneos, neque dum regi-  
minis calefacientis sequela est. 55) *Aphthae*  
bonae, dum post signa coctionis apparent, nec

## B 2

circu-

51) STOLL. I. C. T. II. p. 35. 39.

52) I. c.

53) BVRSER. I. C. §. 275.

54) Don. MONRO I. C. HVXHAM I. C. p. 89.

55) Don. MONRO I. C. STOLL I. C. p. 34.

circulo livido cinctae, sed albae sunt, nec  
recrudescunt. 56) *Parotides* criticae, si quo-  
dammodo durae, sensim elevantur et circulo  
rubro circumdantur, si nec retropellitur mate-  
ries in iis cocta, sed conatibus naturae vel hac  
vel aliis viis, e.g. diarrhoea, evacuatur. 57) —  
Qui quarto die post evacuationes sudabant,  
septimo sine febre iudicabantur, aut febris in-  
termittentis naturam adipisceretur. 58) Raro  
*gangraena* circa coccygem et nates orta mor-  
bum solvit. 59)

Inter signa coctionem et initantes evacua-  
tiones criticas indicantia recensentur pustulae  
circa labia erumpentia: 60) surditas cum ma-  
dore cutis contingens, quae ptyalismum aut  
parotides annunciat: 61) lingua rubra et hu-  
mida

56) BVRSER. I. c. §. 281.

57) BVRSER. I. c. §. 303. ACRELL. Comment. VON  
Edinb. Th. I. S. 406.

58) GRANT. I. c. p. 174.

59) BVRSER. I. c. §. 281.

60) BVRSER. I. c. §. 281.

61) Clift. WINTRINGHAM I. c. p. 145.

mida circa octavum aut decimum diem: 62)  
I Ichuria denique urinam criticam praesagiens. 63)

## II.

## SIGNA MALI OMNIS.

Quemadmodum alvus laxa et mador cūtis, iusto tempore apparentia, boni ominis sunt, ita diarrhoea aquosa, colliquativa malum augurium facit 64) et sudores in initio continentes deliria praesagiri visi sunt. 65) STOLLIVS neminem facile vi morbi succubuisse, nisi qui alvi fluxu e medio tolleretur, observavit. 66) Utina tenuis hypostasi nulla conspi- cua, aut in qua ex enaeoremate mox nubecula fit, et deliria et convulsivos motus et malum eventum praenuniciat. 67) Aphthae pe- ricolosae, atrae lividae, circulo livido cinctae, absque levamine contingunt. Sic parotides sae-

pe

62) SIMS on epidemic disorders, p. 151.

63) EURSER. l. c. §. 281.

64) STOLL l. c. p. 33.

65) MORGAGNI l. c.

66) l. c. p. 34.

67) SIMS l. c.

pe ex convulsionibus aut malis congestionibus oriuntur, et molles sunt, subito intumescunt, fluctuant, circulo livido cinctae, mox subsidunt et ad alia loca convertuntur.<sup>68)</sup> - Inter mala signa pertinent porro anima frigida, convulsiones pertinaces, cutis arida, terror et desperatio, mortis continuus metus, dysphagia et singultus, extremorum frigus cum summa debilitate. etc.

## IV.

## C V R A T I O.

## 12.

## G E N E R A T I M.

Quamquam saepe solis naturae conatibus morbus penitus solvatur, (§. 9.) natura tamen soli non committenda curatio, quippe cum plerumque adeo labefactentur vires, ut a criticis earumdem conatibus fere nihil sit exspectandum. *Prima generalis regula in febre curanda*

<sup>68)</sup> BVRSER. I. C. §. 303.

randa est, ut lente festinemus: methodus enim pessima, quae variis stimulantibus febrim ad-greditur.<sup>69)</sup> — *Secunda*: si in alia quadam febre, certe in hac simplicior methodus ceteris praferenda, quippe cum in hac tumultua-ria methodo mirum quantum nocemus.<sup>70)</sup> — *Tertia*: methodus medendi varia sit, pro va-ria complicatione, pro diversa anni constitutio-ne. Hinc aeger singulus remedia, eorum commixtionem, et se invicem diversimodo ex-cipientium ordinem, eumque in aliis alium, docere debet. Nulla medicina omnibus et sin-gulis hac febre detentis ex aequo convenit, vixque ullibi minor reperiundi remedii speci-fici, aut methodi saltim stabilioris spes afful-get.<sup>71)</sup>

Indicationes vero sequentes formare licet in plurimis huius febris casibus: *primo* coctio promovenda, *secundo* evacuanda obstacula cri-fium aut saburra, *tertio* vires erigendae et pu-tredo avertenda.

<sup>69)</sup> STOLL I. c. T. VII. p. 269.

<sup>70)</sup> BVRSER. I. c. §. 291.

<sup>71)</sup> STOLL. I. c. T. II. p. 35.

## COCTIO PROMOVENDA.

Absque coctionis negotio nulla febris solvitur: hinc et in hac febre omnis lapis monodus, ut, quomodocumque hic id fieri possit, haud ordinata virium actio et tumultaria sedetur, obstacula omnia semoveantur et viae aperiantur, quibus excretio contingere possit. Cumque stases in lymphatico systemate et spastici affectus in sistente irritabili praeprimis adsint, id agendum, ut resolvendo, relaxando et humectando coctio permoveatur. Huc pertinent in primis *externa remedia*, quae, superficie corporis admota, eam humectant et relaxant. Efficiunt hoc prae ceteris *fomentationes* pedum tepidae, quae ad <sup>co°</sup> FAHR: applicantur et egregium usum praestant, dum madorem cutis proliciant et somnum procreent. <sup>72)</sup> Quodsi vero calor fomentorum supra notatum gradum ascendit, plus stimulant, quam relaxant. Hunc effectum quoque balnea tepida producunt, quae lummi momenti in initio febris

<sup>72)</sup> HOME I. C. p. 37.

febris lentae nervosae sunt, ut coctio promoveatur. 73)

His remediis, quae coctionem promovent, ad numero insuper *venaelectionem*, quam evacuante scopo in hac quidem febre adhibere non fas est. Magno illo SYDENHAMO debemus regulam de praemittenda *venaelectione* cuicunque purgationi. Sic loquitur Hippocraticus auctor: 74) „Constanter assero phlebotomiam esse necessariam in qualibet aëris constitutione, quantumlibet mos iam obtineat exhibendi cathartica ante debitam *venaelectionem*, vel, quod adhuc est periculosius, ea penitus omisfa. Licet enim obiiciatur, faeculentias in primis viis stabulantes toties in vacuas venas propelli, quoties detrahitur sanguis, alvo, non prius subducta, certissimum tamen est, evacuationem, quam isti praemitti volunt, nullo modo resarcire posse iniuriam sanguini illatam a tumultuante cathartico phlebotomiae praemisso.“ Venelectionem in hac febre iam adhibuerant Arabes, dum scilicet rubra esset urina

73) BISSETTS Verluche und Bemerk. Th. I. S. 65.

74) Epist. 1. responfor. opp. T. I. p. 195.

urina et phlogisticus sanguinis status.<sup>75)</sup> Crisfin promoveri inde exi o modo demonstravit GRANTIVS.<sup>76)</sup> Evacuantibus semper praemittit, licet parcam venaefectionem, et potius periclitandi gratia, STOLLIVS:<sup>77)</sup> utilem eandem invenit in hemitritaea lymphatico-nervosa POVPPE' DES PORTES.<sup>88)</sup> Licet concedamus BUCHANIO,<sup>79)</sup> venaefectionem temere admissam vehementer nocere posse; pro habitu tamen, aetate, anni constitutione et complicatione morbi summe necessariam esse, fatendum. Dum spastici autem adsunt affectus, dum pulsus iam languet, nec vera plethora adest, sed manifesta indicia systematis nervosi affecti urgent, periculum summum ex venaefectione expectandum.<sup>80)</sup>

Resolventibus nauseosis coctio egregie promovetur. Hinc varia remedia in primo stadio com-

<sup>75)</sup> EBNSINA lib. IV. fen. I. tr. 2. c §3.

<sup>76)</sup> l. c. p. 178. seq.

<sup>77)</sup> l. c. T. II. p. 38.

<sup>78)</sup> Hist. des maladies de S. Domingue, T. II. p. 246.

<sup>79)</sup> l. c. p. 227.

<sup>80)</sup> BVRSER. l. c. § 283.

commendant auctores, quae huic scopo favent.  
HOMIVS pulvrem Iacobi, ad grana iv - v,  
ter de die, et tartarum emeticum ad grani  
unius tertiam partem omni trihorio propinan-  
dum suadet. <sup>81)</sup> Resolventia queque varia  
laudat in primo statu STOLLIVS. <sup>82)</sup>

Victus ratio in primis ita dirigenda, ut  
resolutio contingat et coctio promoveatur.  
Diaeta antiphlogistica, potus iugis emollien-  
tium, saponaceorum, seri lactis potus libe-  
ralis, laudantur a variis auctoribus, in primis  
a GRANTIO. <sup>83)</sup>

*Opium* denique, quamvis ab HVXHA-  
MIO et BURSERIO carpatur, quod conge-  
stiones versus caput excitet, egregium ta-  
men usum praestat ad somnum conciliandum et  
coctionem promovendam, praesertim dum cum

C 2 resol-

81) I. c. p. 52.

82) I. c. T. II. p. 38. 39.

83) I. c. p. 252.

resolventibus, nauseosis iungitur, testibus HOMIO <sup>84)</sup> et CAMPBELLIO. <sup>85)</sup>

### EVACVATIO INSTITVENDA.

*Prima* evacuandi methodus, quae a veteribus auctoribus in hac febre laudabatur, est *diaphoretica*. Laudant autem praeprimis **BALLONIVS** <sup>86)</sup> et **HUXHAMVS.** <sup>87)</sup> Cum vero tantum absit, ut sudoribus multi morbi iudicentur, ut potius summa inde debilitas saepius consequatur, sub duabus tantum conditionibus diaphoresis erit promovenda: 1. dum signa coctionis in cute et urina et pulsu iam praecesserint, nec morbus gastricus fuerit complicatus, nec primum adfuerit stadium. 2. dum non stricte sic dictis diaphoreticis, sed potius cardiacis, roborantibus, antisepticis hanc eva-  
cuationem prolicimus. De his autem deinde sermo erit.

Secun-

84) I. c. p. 59.

85) I. c.

86) Consil. 58. T. I. p. 251.

87) I. c. p. 84.

*Secunda* methodus evacuandi versatur  
in eliminanda saburra primarum viarum, quae  
vel alvo subducitur, vel per os eiicitur. Ecco-  
protica, leniter alvum ducentia, plerique au-  
ctores laudant, cum egregio modo coctionem  
promoveant et saburram eliminent, ita, ut nul-  
la debilitas consequatur.<sup>88)</sup> Lenis diarrhoea  
semper promoveatur, cum grave periculum  
instat, si supprimantur excretiones. Clysmati-  
bus hoc praecipue perficere studet **H V X H A-**  
**M I V S.** <sup>89)</sup> Purgantia autem fortiora merito  
damnant omnes autores in febre, cuius essen-  
tia in debilitate et teneritudine fibrarum ver-  
satur: impediunt enim coctionis negotium, ob-  
stant aliis excretionibus et debilitatem eam pro-  
ducunt, quae cum nulla crisi consistere pot-  
est. <sup>90)</sup>

Vomitoria autem utilia a plerisque aucto-  
ribus praedicantur, multis solventibus praee-  
missis

88) SIMS I. c. p. 156. WINTRINGHAM I. c. §. 325.  
MEAD monit. et praec. med. T. I. p. 145.

89) I. c. p. 84.

90) DON. MONRO I. c. H V X H A M I. c. p. 83.

missis, et corpore ad eadem parca phlebotomia  
et iugi potionē emollito. 91) Cavendum tamen,  
ne varia phaenomena, quae emeticum suadent,  
ab inflammationibus occultis pendeant, neque  
alia adsint obstacula emeticorum. 92) Varii  
auctores emeticō cardiacum, imo ipsum spiri-  
tum frumenti, praemittunt, 93) ne debilitatem  
noxiā producat evacuatio, quod vero, ni no-  
xiū, tamen superfluum esse arbitror.

## 15.

## VIRES EXCITANDAE.

Caput vero totius curativae methodi com-  
plectitur virium roborationem et excitationem,  
quippe quae *Idionathus* in hoc morbo patiun-  
tur. Fit autem hoc *vel* diaeta *vel* remediis  
et externis et internis.

Sicut in initio antiphlogistica diaeta ne-  
cessario requiritur ad coctionem promovendam  
et evacuationes praeparandas, sic in progressu  
morbi

91) STOLL. I. C. T. II. p. 48.

92) BVRSER. I. C. §. 287.

93) BVRSER. I. C. §. 296. TARANGEAT épidemie ob-  
servée au village de Pont à Rache. Paris 1790.

morbi diaeta vinosa, corroborans summi momenti esse videtur. Vini rhenani usus a plurimis auctoribus, tanquam unicum aut praecipuum remedium in hac febre, laudatur, neque absque eo, dum repurgatae sunt primae viae, facile posse febrem fugari, conceditur.

- Frigidus aer, qui a simulo laudatur, summa tamen cautela admittendus, quippe qui excretionibus suppressis ansam praebere potest. 94) Eodem modo iudicandum quoque de aquae frigidae potu, quae quidem vires exiguo modo excitare, alioquin vero etiam super primere excretiones potest.

Inter externa remedia ceteris palmam praeripiunt *vesicatoria*: praesertim vero in debilitate universalis, in soporo statu, 95) dum cordis motus labefactatus cum dyspnoea, anxietate et deliriis adest, 96) dum surditas, diarrhoea colliquativa aut angina accidunt. 97) Irritabilitate autem magis exaltata

et

94) BVRSER. I. c § 298.

95) BVCHAN. I. c. p. 228.

96) PERCIVAL medic. essays, Vol. II. p. 240.

97) Medic. essays of Edinb. Vol. IV. n. 23. STOLL  
I. c. T. II. p. 33. 34.

et in spasticis affectibus, vitanda vesicatoria,  
quippe quae spasmos augere solent. 98) Quam-  
quam STOLLIVS 99) suppurationem locorum,  
quibus vesicatoria applicata fuerant, promovere  
nolit, non negandum, saepe summe proficuum  
esse eiusmodi suppurationem succedaneam, te-  
stibus PERCIVALIO 100) et BVRSERIO. 1)

*Cortex peruvianus* summam meretur lau-  
dem in curandis his febribus, si modo debitae  
evacuationes praegressae fuerint, si vera adest  
debilitas 2), si sine siti et dyspnoea aeger est, si  
tremores totum corpus occupant, 3) si denique  
verae remissiones et sudores debilitantes ad-  
sunt. 4) Noxius tamen cortex in principio  
morbi, aut dum pulsus durus et tensus est, aut  
dum primae viae saburra occupantur: noxius  
deni-

98) PERCIVAL I. c.

99) I. c. T. II. p. 39.

100) I. c. p. 260.

1) I. c. §. 288.

2) STOLL I. c. T. II. p. 40.

3) nō M.E. I. c. p. 20.

4) DON. MONRO I. c. p. 112.

denique plerumque in pulveris forma, cui  
**STOLLIVS** substituit decoctum.

Quod *camforam* attinet, egregium remedium esse in hac febre, concludere possumus ex natura cognita. Cum enim effectus huius medicamenti praecipue complectantur primum languorem, deinde vero irritationem partium solidarum: 5) excitandi scopo omnino adhiberi potest in febre ex debilitate et laxitate ortum ducente. Dum pulsus itaque languidus et molllis est, camfora exhibenda, praesertim aceto et gummi arabico nupta. 6) Dum vero pulsus durus tensusque est, et subsultus tendinum aliquie spastici affectus adsunt, camfora potius cum opio aut moscho iungenda, aut hic solus eligendus.

*Moschus* enim, quantopere saepius prospicit in febribus omnibus nervosis, confirmant omnes medici: exhibetur modo dosibus liberalibus, sicut **B V C H A N I V S** quater de die scrupulum unuu offert. 7)

### Com-

5) **MURRAY.** apparat. medicam. Vol. IV. p. 482.

6) Neues verbess. engl. Dispensat. Th. II. S. 857.

7) I. c. p. 224. **QVARIN** meth. med. febr. c. IV. p. 55.

D

Commendant auctores praeter modo dicta remedia et *serpentariam virginianam*, et *sal cornu cervi*, et *valerianam sylvestrem* et *arnicam* et varia alia remedia, quae vel sedando Ipaisticos motus, vel excitando vires vitales agunt et egregium usum praestant. —

*Tincturam cantbaridum*, quam sero latis dilutam primus commendavit HILLARIUS<sup>8)</sup>, ego quidem exhibere nolle, cum securiora, eaquè praestantiora huic substituere possimus remedia. — *Acida* autem, praesertim vegetabilia, et mineralia dulcificata anti-septicis roborantibus iuncta, egregium usum praestant ad vires excitandas.

### 16.

De symptomatibus curandis aliquid addere superfluum iudico, quippe quae medici attentionem non valde merentur, facileque fieri potest, ut debellato morbo, etiam symptoma ta curentur.

8) Diseases of Barbados, p. 210.

1078

PICA





DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
FEBRE  
LENTA NERVOSA,  
—  
QVAM  
CONSENSV FACVLATATIS ILLVSTRIS MEDICAE  
IN ALMA FRIDERICIANA,  
PRO  
SVMMIS IN ARTE MEDICA

ET  
CHIRVRGICA HONORIBVS LEGITIME IMPETRANDIS  
DIE VIII. IVN. MDCCXCII.

H. L. Q. S.  
PVBLICE DEFENDET,  
AVCTOR  
MICHAEL WOLFGANGVS AKOZLOWSKI  
POLONVS,  
CHIRVRG. ET ART. OBSTERRIC. MAGISTER  
CELSISSL. PRINCIPIS NICOLAI  
RADZIWILL ARCHIATER

HALAE SAXONVM  
LITTERIS HENDELII.